

magnum triremium numerum, complures ad mille circiter equos transvehendos hippagogæ erant. In sequenti die peditum, atque equitum exscensionem in terram Chariadenus molitur, ut unde quaque ferro, atque igne agros vastaret, ac diriperet. Incolis cum valida Acroceraunia gentis manu arcere a litoribus hostes admittentibus, atrox pugna initur; utrinque multi cadunt: tandem numero potior hostis, exscensione facta, pa-
sim in cunctos mortales defœvit; agros, & villas diuturna pa-
ce ad luxum usque ædificatas, immisis facibus, incendit; uni-
versum insulæ adspectum, cunctis evulsis arboribus, atque oli-
vetis, quæ ingenti numero haud mediocres olei proventus edunt,
incisis, deformavit. Ad Republicæ magistratus Chariadenus
literas mittit, quibus significat: Suleimanum cum toto exerci-
tu propediem ad insulam oppugnandam venturum, adversus
hyemis asperitatem, ceteraque incommoda certaturum, neque
prius quam urbe, ac tota insula potiretur, discessurum: hor-
tari proinde præfectos, ut suæ, incolarumque saluti consule-
rent; neque potentissimi Imperatoris supremos conatus experi-
ri vellent. Corciræ tunc præerant Simon Leonus, atque Aloy-
sius Ripa; ille magistratus, quem *Bailum* vocant, hic vero
legati munere fungebatur, qui summa virtute, atque animi ar-
dore ad insulam tutandam se comparaverant, Senatumque ad
certam spem prosperi eventus erexerant. Namque oppido uni-
versa insula nitebatur, quod & loci natura, & incomparabi-
li arte egregie instructum, ac munitum, ad ingentes impetus
hostium excipiendos, & sustinendos inexpugnabile censebatur.
In eo præfidiarii milites mille ac quingenti externi, totidem-
que oppidani aderant; ad hæc quatuor triremium remiges a
transtris in arcem vocati. Nam Pesareus imperator quatuor
trierarchos, qui insulam tuerentur, reliquerat: ex iis Nicolaus
Semiteculus oppidi portæ, tormentisque bellicis Aloysius Sanu-
tus præficiuntur; Zachariæ Barbaro commeatuum cura tradi-
tur; triremes in Euripum demittuntur eo consilio, ut potius,
quam in hostium potestatem concederent, demergerentur; an-
nona in tres annos superesse in arce dicebatur. Universæ mi-
litiæ Jacobus Novellus rerum militarium usū præstans præ-
rat; qui cum per eos dies morbo correptus obiisset, in ejus
locum Babo Naldius præfensus, egregia in Rempublicam fide,

1537

Corcyra in-
sula direc-
ptio.Chariadeni
literæ ad
Corcyra
præfectos.Simon Leo-
nus & Alo-
ysiis Ripa
Corcyra
præfecti.Veneti tri-
rarchi a Pe-
sareo ad
Corcyram
relicti.